Q. D. B. V.

CAROLUS HISPANIARUM PRINCEPS, PHILIPPI II. FILIUS,

PRÆSIDE

M. CASP. HENRICO GRAUNIO,

Ordinis Philoſophici Adjuncto,

ad diſputandum propoſitus

à

JO. DANIELE SCHROEDERO,

Langoſalza-Thuringo.

In Auditorio Majori, ad d. XIX. Octobr.

WITTENBERGÆ,

Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.

ANNO M DC LXXXVII.

I.

QVi de Carolo exposuerunt, vel agi studiis contrariis oportuit, vel diversa testantibus habere fidem; adeò neqve conveniunt de rerum exitu atqve cursu, neqve causas & occasiones eadem ratione perseqvuntur. Et verò de Hispanis est in propatulo, qvi ut regis sui existimationi, gentisqve honori consulerent, tantum patris causæ accedere putarunt, qvantum filii laudibus famæq; detraheretur. Contra non defuêre, qvi aut odio furoris Pontificii incensi, aut amore sangvinis, qvo fœdato labem infinitæ multitudini adspergi opinantur, aut demum nescio qva ducti voluptate, è cruentis spectaculis amatorios ludos concinnare solita, miserum potius, qvàm reum, Juvenem hunc nobis sistunt. Igitur ut in studiis partium, hoc majori cautione erit opus, qvo difficilius est, rem alioqvi celatam evol-

vere, atqve è profundis casuum confictorum involucris, nuda facie, claraqvè in luce positam exhibere.

2. Principiò atrocia sunt, qvæ de Caroli ingenio à Scriptoribus qvibusdam recitari videmus. Nam si patimur nobis persvaderi, fuit sævum & fundendi sangvinis cupidissimum, qvod nulla fermè humanitas commiseratioqvè tangeret. * Idem vim amavit perpetuuò, & immoderata expetivit, ferociaqvè sua se invisum reddidit, nec minùs ambitione, qvàm nimia licentia ferinum evasit. Qvòd eò faciliùs fiebat, qvòd sui non benè esset compos, & cerebro læso intractabile evaderet, insaniæqvè cujusdam significationem daret. Ex adverso non infra natales stetit, si alios de eo differentes audiamus. Qvippe mens in puero comparebat ignea & vivax, qvæ studium insigne virtutis præ se ferret, & honestatem modò laudemqve consectaretur. Qvapropter ad excelsa gradiens optimam de se concitabat spem, & magnanimum spondebat Principem, qvi neqve fortitudine ab aliis supe-

ſuperari vellet, neqve fortibus viris favorem ſuum teſtari deſineret. Præctereà non ſtupore aliqvo mentis ineptus, ſed odio juxta & amore apertus habebatur; ſapientia autem nulli ſecundus erat, qva & animos hominum inveſtigare ſciret, & ſcitè, qvod in rem eſſet, aliivè mirarentur, faceret. ** Nec verò à lepore & elegantia alienus, aut barbarè durus & inhumanus, ſed ad civilem conſvetudinem æqvè factus, qvemadmodùm ad res graves ſuſcipiendas idoneus: inſuper beneficiorum acceptorum memor, valdeqve munificus & liberalis. Enimverò in his elogiis mihi tempero, haud ſecus ut in diffamatione, qvam alii videntur eſſe orſi. Ingenio vehementi *** fuiſſe præditum & fervido, nemo diffiteatur, unde mirum non eſt, ſi qvemadmodùm promptus erat, acriterqvè contendebat, qvoties ſibi ſtatueret aggrediendum negotium qvidpiam, facilè inflammaretur, & iracundiæ frenum laxaret. Attamen excelſæ indolis multa ſunt qvæ nobis faciunt indicium, & prohibent exiſtimare, immane monſtrum, deteſtabili furore, & ſan-

gvinariæ naturæ impetu pertimescendum, Hispaniam genuisse, cui solium aliqvando, & regios fasces traderet.

* *Fertur ipse lepusculis exanimandis manus suas admovisse, ut è fuso cruore voluptatem caperet. Unde Venetorum Legatus eadem est ominatus, quæ Areopagitæ de puero qvodam, avicularum oculos configente. Cæterùm si verum est illud, similis fuit Carolo IX. Galliarum Regi, de qvo Thuanus memoriæ prodidit, ferarum cruori manus intingere assvetum, indeq́; ferociorem redditum, ad crudelitatem paulatim cœpisse ferri.* Lib. LVII. Hist. p. 1097. *Stultitiæ argumentum erat, qvòd in carcere suo miras iniret rationes accelerandæ mortis, qvæ de imbecillitate sic conjiciunt, vel è casu Alcalensi esse ortam, vel prosapiæ vitium fuisse, siqvidem de Carolo V. constet, extremo tempore deliriis obnoxium vixisse, & Joannæ Arragoniæ calamitas existat notior, qvàm ut qvis in dubium vocet. Adeò & Huberto Leodio, Friderici Palatini domestico, & Principi Historicorum Thuano digna videbatur, quam recitatione sua comprehenderent.* Vid. hic lib. XVI. p. 325. Conf. Gratianus à Burgo Sancti Sepulchri, qvi de Joanna, Ferdinandi Catholici filia, seqventem in modum commentatur; Hæc valetudine mentis desipiens, clausa domi custoditaqve, neqve adiri neqve videri ab ullo poterat, ne, cui Reginæ veneratio deberetur, ejus insipientia stultitiaqve, atqve intempestivi, nunc cachinni, nunc fletus, ridicula adeuntibus essent. De Casibus Viror. Illustr. p. 280.

** *Elegans est, qvam Philippus Melanchton texuit, de Carolo Principe historia, qvo pacto eqviti panperculo subvenerit, & non modò de vestimentis ipsi prospexerit, qvæ primario Regis Ministro surripi jubebat, sed etiam pecunia mutuò accepta eundem donârit. Non minus lepida narratio ab eodem subjungitur de homine, qvem Judæum esse Carolus intelligens, laciniam togæ ejus comburere fuit aggressus. Unde auguratur Philippus, Europam omnia summa de Juvene promittere sibi posse, cujus Natalis Astrologiæ rationibus, qvibus admodum ille fidebat, egregiè communiatur.* Vid. Manlius p. 596. *Cæteroqvi si inscriptio in testimonium valet, qvæ defun-*

defuncto est tributa, magnæ indolis & virtutum eximiarum argumenta exhibet, sic enim hanc è Gallico Idiomate Latinam habemus:

MEMORIÆ ÆTERNÆ CAROLI HISPANIARUM UTRIUSQVE SICILIÆ BELGII ET GALLIÆ CISALPINÆ PRINCIPIS HEREDIS NOVI ORBIS INCOMPARABILIS ANIMI MAGNITUDINE BENEFICENTIA ET AMORE VERITATIS.

*** *Vehementiam in puero Philippus denuò testatur, & confirmat exemplo qvodam. Inqvit enim, testudinem habuisse, qvæ ipsi in deliciis fuerit; & capite exerto momorderit aliqvando, graviterqve læserit. Hanc injuriam ut ulcisceretur, expectasse donec caput denuò exereret, dentibusqve suis ad os testudinis applicatis mordicus eam apprehendisse, caputqve abscidisse. Cùm autem in ore testudinis aliqvid inesse veneni existimarent medici, alexipharmacis ab ipsis fuisse curatum* ibid.

3. Præterqvàm autem qvod de Carolo tulit fama, malè ipsi naturam consuluisse, qvæ tàm parcè Principem dotârit, rumor etiam increbuit, pessimè fuisse educatum. Et qvidem per absentiam Philippi, à Carolo Cæsare evocati; contigisse illud volunt, tùm qvòd Boëmorum Rex, cui regni gubernatio, & Principis cura fuisset concredita, indulgentius eum habuerit, & liberius permiserit vivere, qvàm

uti-

utile esset in tàm tenella & ferocula ætate. Hos adversùm prodiderunt alii, ipsum Carolum Imperatorem sapienti instituto Nepotem suum, de qvo spem summam conceperat, instituendum sumpsisse, itaqvè temperâsse vehementiam pueri Principis, lenitate tempestiva, & rationibus idoneis, ut post breve tempus sibi ipsi moderari disceret. Nec cùm libertatem necessariam concederet, educationis cursum stitit, sed promovit potius, animumq; celsum impedivit, ne ad præcipitia deflecteret, aliamqve qvam honoris viam ingredi tentaret. Post verò qvàm Philippi jussu, * Rodericus Gomesius Silva duriusculè tractare cœpit, repentè contrarium evenit. Nam non modò ipsum adolescentiæ suæ moderandæ præfectum gravi odio persecutus est, sed à Patre etiam, cujus mandato accideret, qvicqvid in se designaretur, animum suum abalienavit. Qvamobrem hoc relinqvitur, etsi Alcalensis casus ** vires ejus non afflixisset, tamen institutionem fuisse talem, ut non potuerit non insignem mutationem efficere, sive qvod negle-

glectum erat initiò, nimia & intempestiva severitate corrigeretur, sive fundamenta benè jacta per industriam avi prudentissimi, morosa patris voluntate iterum convellerentur.

* *Duritiem arguit, qvod leve ob commissum virgarum pœna metuenda ei fuit; cùm gravius fortassè admisisset, atrocia comminari Pater solitus est, & acerbè increpuit. Evenit aliqvando, ut Bohemiæ Reginam percuteret manu, qvòd puerum ludendi societate conjunctum secum vehementius jussisset castigari. Renunciatum est, mandasse Patrem, ut capite lueret nefarium facinus; & cùm supplicaret de remittendo extremo supplicio, responsum tulit, immunem fore, si pati posset, ut sibi manus, qva reginam verberaverat, præcideretur. Hoc autem aspernante eo consuluit ipsi qvidam, ut spontè in se flagitaret pœnam, sic enim posse fieri, ut Patris ira mitigetur. Hoc consilium secutus Spinosæ Purpurato jussit dici, ut ad se veniret, cæderetq; virgis, qvas alioqvi vehementer oderat, nec facilè patiebatur. Alio tempore cùm è morbo convaluisset, Rex solum ad se vocavit, & acerbissimis verbis adversùs eum fuit usus. Qvod adeò molestè tulit, præsertim qvia sibi injuriam in ea re putabat fieri, ut denuò in morbum incideret, graviterq; cum eo conflictaretur. Hæc autem, & alia qvamplurima, fuisse inqviunt præcipuam causam, quapropter Patrem non admodùm diligeret, & animum ab eo haberet alieniorem.* V. Scriptor Anonymus, qvi Caroli Historiam Lingva Gallica est persecutus, *cui hoc in capite facilius haberi potest fides, qvòd Melanchton, qvando supra memorata exponit, annotat simul, & à Patre gravissimè reprehensum esse, & ne virgis puniretur, metuisse.* lib. allegat.

** *Discrepant Scriptores & de causa, ob qvam missus fuerit Alcalam, & de infelici casu, valetudinem ejus non mediocriter imminuente. Qvi duriora suspicantur, ob ferociam à patre ablegatum scribunt, qvam ille rebatur in Academiæ recessu, commercio indoctorum & literatorum hominum leniri posse. Casum autem accidisse, cùm puellæ forma captus, ejusqve compos fieri cupiens, seqvendo incautius per gradus scalæ decideret, capiteq; alliso graviter vulnera-*

nerareturi. Contra alii ob Inqvifitio is rabiem fecisse Regem opinantur, ut Carolum Filium, Joanem Austrium nothum, & Alexandrum Farnesium Parmensem, qvi pro tabulis testamentariis Caroli Cæsaris apertè loqvebantur, ab hominum præsentia removeret. Ceterùm eam calamitatem evenisse non ex impudica libidinis furore, sed eqvi non satis domiti, & à Carolo insessi, excussione. Vid. de lapsu præter Stradam, & Matthæum, ex Gallico charactere in Latinum pessimè conversum, Historia separatim edita, summaqi diligentia lingvæ patriæ idiomate expressa.

4. Constans est opinio, aliam proposuisse sibi Carolum rationem, qvam seqveretur in universa vita, ab ea, cui Pater se dedisset. * Undè necessariò evenit, ut amicos ejus, qvi primum gratiæ locum in aula tùm tenebant, offenderet, & ab ipsis non minùs, qvam Philippo dissideret. Cæterùm id imputatum fuit Principi, qvod regnandi libidine incensus non expectare vellet tempus, qvod fortuna sibi destinâsset, qvodvé pateretur invitus, se excludi à Consistorio Regis, in qvo Dux Albanus, & Gomesius Silva primas dicerent sententias, nec consiliorum fieri participem, qvæ cum Austrio notho aliisvé communicarentur. Qva in re si injuria fiebat illi, ipse erat in culpa, qvi gravitati Parentis illuderet, & ferocia impotentiaqvè animi sui omnibus se suspectum & invisum red-

de-

deret. Alii Carolum excuſare conantur, cui non ambitio nocuerit, aut indignatio, ob ſpretum regni heredem, ſed aliorum invidia & metus, qvi & principem oderant, cujus virtutem ſuo cum periculo viderent incrementa capere, & minas ſibi intentatas, damnumqve ab eo profectum ulciſci vellent. ** Qvod utcunqve ſit, in eo qvidem conveniunt, fuiſſe rixas excitatas, & unum in alterius odium feciſſe omnia, qvæ animus irritatus ſuggerebat. Adeò fieri potuit, ut neutra pars ab injuriis ſibi temperaret, aut vacaret culpa.

* *Philippi mores duros & aſperos vulgus Hiſtoricorum prodidit, qvi non modò affectata Hiſpanorum gravitate pluribus exoſi forent, ſed ob inclementem qvoq; vultum, qvem ne ipſe qvidem amor muliebris interdiu flectere aut expugnare potuit, nec non propter ſeveriorem indolem, atrocibus factis aliqvando manifeſtatam, inſimularentur. Adhoc tegere arcana pectoris conſvevit, ut vix illi, qvos amabat, iſtud ſcirent, nedum ut faſtidio qvi eſſent, aliqvam benevolentiæ ſignificationem elicere ex eo, aut ſpondere ſibi poſſent. Itaq; facile accidere potuit, ut Carolus, ab omni ſimulatione alienus, neq; vultum premere gnarus, & alioqvi diſpare vivendi lege utens, plerumq; ab eo diſſentiret.* Vid. in eam rem, præter Thuanum, P. Matthæus Lib. 1. Narrat. 4. à qvo virtutes pariter & vitia Philippi recenſentur. Conf. Hartvicus Pereſixius, in vita Henrici M. Gallico idiomate ab ipſo conſignata, ubi elogia ejus perſeqvitur. Add. Jonhſton. Hiſt. Britann. Lib. 8.

** *Principiò de Auſtrio illi negant, apud Philippum fuiſſe adeò gratioſum, ut hinc iraſcendi cauſam Carolus nanciſceretur.*

Qvin aliqvando amicitiam viguisse inter eos, & communibus studiis deditos fuisse volunt. Rupto autem fœdere longè alias ob rationes, qvàm qvæ consilio ium Regis, & rempublicam concernerent, tamen temperâsse sibi, ne apertis odiis concurrerent, donec inter ludum orta rixa, qvæ verborum contumelias post se traxit, Austrius insidiari Carolo occiperet, & exitum illius promoveret. De Albano inqviunt liqvere, truculentum virum machinari orsum adversùs Principis fortunam, ex qvo suspicaretur, negotium Benearnense, qvod Reginam Navarræ, & ejus Liberos tangebat, opera ejus detectum, præsertim cùm is minas spargeret, se non passurum aliqvandò, ut tàm diræ proditionis auctores tentâssent scelus impunè. Videns verò, Belgii gubernationem, qvam ipse sibi destinabat, à Regio Juvene peti, magis cœpit fortunæ suæ metuere, & omni ope enixus est, ut profectionem impediret, qvâ Caroli potentiam crescere, suam funditus everti intelligebat. Erat autem invisus illi propterea, qvòd in publico Procerum conventu, indicto ob id, ut Carolus regni heres declararetur, vocatus ad dicendum sacramentum non comparuisset, & extra ordinem post accessisset, causatus publici muneris, qvo fungebatur, occupationes. Id enim Princeps ægerrimè tulerat, adeò qvidem, ut venientem repelleret, & à Patre vix adduceretur, ut excusatum haberet. Gomesium idem metus, eadem minæ stimulabant, qvò tempestivè rebus suis prospiceret, inprimis qvia vindicem horrebat, qvem Patris jussu indignissimè tractâsset, & severitate nimiâ tot vicibus irritâsset. Caterùm infestissimo odio ferebatur erga Carolum Ebolia, Roderici Gomesii conjux, qvoniam amore Juveni oblato repulsam aliqvando tulisset. Ea enim maritum impellebat, ut consilia cum Albano communicaret ad Principis perniciem, ea insidiabatur misero, & omnibus modis studebat efficere, ut aliqvam occasionem is præberet se calumniandi, qvi alioqvi non rectè sibi caveret, & pateret in fraudes. Igitur cum Austrio in arctioris fœderis leges coire statuit, & alios simul adsciscere, qvi sibi usui, Principi damno & exitio esse possent. V. De Albani & Austrii ingenio, præter alios Historiæ Belgicæ Conditores, Grot. in Annal. Lib. 1. & 3.

5. Magnum scelus, si qvod qvidam de Carolo scribunt, Novercæ thalamum appetivit;

vit;

vit, & prærępta ſibi conjuge, cùm jam Patris eſſet Philippi, * uti voluit ut ſua. Nec minuendo facit crimini, qvòd ipſi olim deſponſata fuit, ſi familiarius cum Regina egit, qvàm par eſſet, & vetitam poſſeſſionem crebra lamentatione repetere qvodammodò eſt viſus. Enim verò non admittitur ab aliis, Principem qveſtibus rem egiſſe, aut dolorem ſuum apertè ſignificaviſſe, cui reliqvi iraſcerentur, qvòd arte ſumma amorem celaret, adeò qvidem, ut cùm miſerè vellent, expiſcari nihil poſſent. ** Et qvidem hi amâſſe ipſum, tantum abeſt ut inficias ire velint, ut ſeriem fabulæ mirifica potius ratione pertèxant, & cauſam calamitatis ſecutæ ex eo fonte unicè arceſſant. Sed adverſùs publicam honeſtatem aliqvid perpetratum, aut reginam à Juvene amante expugnatam fuiſſe negant, utpote qvi ſic ſe cohibuerit, ut nil aut ſua perſona indignum, aut Patris exiſtimationi non conveniens moliri ſit exorſus. Sanè hodiè freqvens eſt, exitium magnorum hominum ab amoribus derivare, *** qvorum ut commemoratio in multis for-

tasſè fallit, ita neqve omnia rejicienda ſunt promiſcuè, neqve de Carolo & Eliſabetha diffitendum, plerosqve ſic expoſuiſſe.

* *Eliſabetha amœnisſimi ingenii, & ſummæ pulchritudinis fœmina, ab Henrico II. Galliarum Monarcha, Carolo, qvem Philippus ex Maria Luſitana ſuſceperat, in matrimonium promittebatur, qvò de pacis conditionibus facilius conveniret, eædq; constantius obſervarentur. At enim erepta Philippi Conjuge, Maria Angliæ Regina, Pater ſibi tradi petiit, qvam Filio prius curâſſet deſponſari. Hanc autem Hiſpani inſimulant, & vetitam conſvetudinem cum privigno ei objiciunt, excuſantibus Gallis, qvòd nihil admiſerit in contubernii ſanctisſimi legem, & omni ſtudio anniſa fuerit, ut reliqvias amoris in animo Principis ſimiliter extirparet. Deperiit eam Philippus, etſi ipſa non cognoſceret, moroſi hominis vultu, tetricáq; & maritum non decente gravitate decepta: coluerunt ſubditi: mirata eſt aula: amicam habuit Joanna Benearnica, Antonii Vindocinenſis Conjux, & Henrici Labretani, Navarræ Regis filia: ſummoperè dilexit Catharina Parens, adeò ut in Hiſpania jam degentis colloqvium expeteret, ſuiq; ſemper ſtudioſisſimam, & Gallorum dignitatis amplificandæ cupidisſimam haberet.* V. Jo. Buſſier. in Hiſtor. Franc. Part. IV, Lib. 20. ab initio. De pacis legibus, qvibus Iſabellæ nuptiæ ſancitæ ſunt, conf. Gratianus à Burgo S. ſepulcri, p. 318. lib. cit.

** *Auſtrius nihil non experiebatur, ut arcanum Principis amorem detegeret: loqvebatur cum ipſo, & omni obſervantiæ genere ſibi devinciebat; ſtudebat corrumpere regii gynacei puellam, qvò Dominæ ſenſus exploraret, ac ſibi patefaceret. Cumq; non ſuccederet hac via, in Eboliæ caſſes incidebat, cujus ſagacitate aſtuq; adjutus pluſculum proficiebat, & qvod anxiè deſiderabat, paulatim conſeqvebatur. Adeò falſum eſt, qvòd Carolus affectum malè celaverit, qvi primum nuncium de Noverca, Patri ſuo elocanda, ſic accepiſſet, ut nemo qvidqvam animadvertere potuerit aut odorari. Cæterùm ſi fidere oporteat Scriptoribus, qvibus viſum eſt ad amorem referrre, qvæ funeſta acciderunt & miſeranda, eqvidem huic imputare ſolent, qvòd Auſtrius primùm Eboliaq; Princeps inciperent amar-*

mantes observare. Huic porrò tribuunt literas, qvas Elisabetha ad Carolum dedit, in agone fermè constitutum, lapsuq; miserè afflictum, qvæ in manus Conjugis pervenientes, Juvenem in supplicium mortis præcipitarunt. Deinde huc id referunt, qvod Philippus diligentius mandavit custodiri, de qvibus aliqvam suspicionem iramq; concepisset. Qvo malè animati Regis signo excitati, animum despondebant, præsertim cùm sentirent, Posanii Marchionem, Juvenem excellenti virtute formaq; præditum, qvo utebantur internuncio, ex eodem capite, sicariorum manu interceptum necatumq; cecidisse. Tandem est consilium secutum, de adeundis Belgis, qvod ab illo fonte promanavit, desiitq; in eam calamitatem, qvæ non nisi morte utriusq; sedari & finiri potuit. V. scriptor Gallus, & Interpres alterius è Belgio, L. vander Boos, aut qvisqvis est, è qvo Germanicæ Narrationis Auctor sua desumpsit.

*** *Nota sunt, qvæ de Essexio Comite* Anonymi schediasmate *memoriæ produntur, qvanqvam neq; apud* Jonsthonum, *neq; apud* Cambdenum *invenias, ex his recessibus minutatim deprompta ac recensita. De Seraskerio, in Pannonico bello, qvod ad hunc diem durat, admodùm celebri, extant in eandem sententiam peculiares recitationes, qvibus aula Turcica non ignari facilè inducuntur, ut assensum præbeant.*

6. A domesticis ad rempublicam veniamus, qvam Carolum voluisse perturbare, hoc indicio fuerit, qvod tumultuantium Belgarum patrocinium suscepit, * ipsorum seditionem excusavit, neqve modo amicitiæ suæ fidem illis fecit, sed cum aliis qvoqve non sine regni periculo societatem fœderis contraxit. Huic accusationi alii respondent, Principem initiò non meruisse reprehensionem, qvi præfecturam à Rege petebat, qvam honestè ei ne

qvi-

qvidem videbatur posse denegare. Igitur mutata Patris sententia, ad aliud consilium devenisse, de adjuvandis rebellibus, qvi prius non apertè tales erant, cùm hinc eum Auriacus solicitaret, hinc auxilia Turcarum, & Castilionæi pollicitatio, felicem exitum sponderent. Qvapropter simulatum fuit, cùm Albanum increpuit, qvem interficere ferro, qvod qvidam perscripserunt, neqvaqvam est conatus. Et verò ex his patet, Belgarum rebus eum se implicuisse, cui displicebat crudelitas, qvæ Hispanos Senatores instigabat, Regiqve subditos, qvos reconciliare poterat, aggrediendos bello persvadebat.

* *Eò processerat favor ipsius erga Belgas, ut si qvas Parmensis fortè literas mitteret, Nobilitatem arguentes, ille curaret sedulò, qvò in manus illorum, qvos concernebant, pervenirent. Qvam rem illa & persensit, & de ea apud Fratrem est conqvesta. Mitto de Montiniaco dicere, & Marchione Bergensi, cum qvibus, in Hispaniam tùm ablegatis, clandestina colloqvia freqventavit, sed totum ad illorum rationes & consilia adjunxit. Cœperat qvoq; anteà Egmondanum Comitem in magno pretio habere, cui coram est pollicitus, se Belgicis negotiis, qvo tempore ad dissidium spectabant, præsentia sua non defuturum.* Vid Gul. Majus, in Polemograph. Belgic. qvi in Consistorio Regis Carolum à qvibusdam propositum scribit, ad turbas in Belgio excitatas sedandas. Verùm rejecto hoc consilio, negotium Albano fuisse datum, ejus rei perficiendæ, idqve Principem malè habuisse, Belgas eximio favore complexum, ad ann. 1566. p. 47.

** *Erat*

*** Erat illo tempore Constantinopoli Miqvetius aliqvis, à qvo Turcarum Imperator vehementissimè solicitabatur, ut reipub ica Christianæ bellum indiceret. Cæterùm cùm Hispaniæ Regi admodùm infestus foret, qvippe à qvo regnis ejus, violata magna dignitatis virgine, exulare erat jussus, accidit ut de Granatensium Maurorum tumultu increbesceret rumor. Qvo adductus, Cypria expeditione in tempus omissa, classem in Hispaniam paravit. At verò turbatis Belgii rebus, opportunius ipsi visum, si seditiosis opem ferret, qvi nòn modò vehementer id petebant, sed & Carolum de classis Turcicæ adventu certiorem faciebant. Id sive in speciem jactatum, sive revera ita habuit, magnum potuit afferre momentum, ad persvadendum Juveni, de qvo aliàs suspicio est sparsa, non planè abhorruisse à rebus Mauriscorum, sed se implicari ab eis fuisse passum. Interim qvod de Danica affertur, Anglicaq; societate, paucis saltem fuit credidum, qva de hi, qvi curiosè observarunt omnia, siqvidem eam affectâsset, commentari minimè prætermisissent.* Vid. Fam. Strada, Lib. VII Dec. I. Histor. Belgic. Conf. Grotius, in Annal. Belgic. Lib. I. ubi de Carolo non diffitetur, mitiora erga Belgium svasisse, eiqve pacando operam suam obtulisse, qva re suspicionem non mediocriter fuisse auctã. Chytræus ad ann. MDLXVIII. hæc in eandem sententiam annotavit: Carolus Hispaniæ & Belgici Princeps, Caroli V. nepos, cùm displicere sibi crudelitatem, qvæ in Belgico per Albanum exercebatur, ostendisset: jussu Patris Philippi custoditus, & in custodia extinctus est. p. 579.

7. Simplices homines putant, Carolum religioni puriori se addixisse. At verò qvi certiora consectantur, non negant qvidem, Inqvisitionis Senatum apud populum calumniando effecisse, ut crederent, à sacris Romanensium abhorrere, sed illum scisse aliam sententiam de fide, qvàm qvæ recepta esset,

minimè concedunt. Etenim occaſio tùm fuit præbita firmandi hanc opinionem, qvùm teſtamentum Caroli Cæſaris * à Principe defenderetur, isqve Belgicam Nobilitatem propugnaret, & ut inimici ſpargere ſolebant, literas concederet, qvarum ope libellus Calvini, ſumma fidei capita tenens, in Hiſpaniam illatus eſſet. Alioqvi & hæreticus habetur, cui commercium intercedit cum hominibus Romanam ſuperſtitionem non profesſis; haud is modò, qvi hæreticam ſententiam imbibit animo ſuo. Qvamobrem certum eſt, non diſſenſiſſe Carolum à placitis antiqvitùs invectis, nec amplexum eſſe doctrinam, de cujus argumento aut bonitate nil inaudiſſet.

* *Varia de abdicatione imperii, à Carolo V. ſuſcepta, prodita fuerunt, & inter ea iſtud, qvòd diu cum hominibus verſatus, qvi Evangelium amplectebantur, doctrinam ipſorum imbiberit, cui vacaturus in ſolitudinem ſe abdidiſſet. Sic enim differebant, Imperatorem ſeriò pœnituiſſe, qvod Principes huic fidei addictos tractaſſet adeò ſeverè, qvorum conſtantia & virtus, in ſummis anguſtiis elucens, felices res ſuas relinqveret poſt ſe longiſſimo intervallo. Itaq; cœpiſſe honorificè ſentire de fide ipſorum, neq; auſum fuiſſe eam damnare; quam propter potentisſimi Principes ſemetipſos, & omnia ſua, periculo miſeriiſvè expoſuerint. Hanc opinionem ejus declarabat, qvòd ad ſacra uteretur hominibus, Romanæ Religionis amatoribus admodùm inviſis & ſuſpectis, Cacallam ſibi*

à conſ

à concionibus pateretur eſſe, & cum Præſule Toletano, Co[illegible] haberet Pontium, Antiſtitem Droſſenſem, cui peccata confitebatur. Poſt illa etiam compertum eſt, cellulam in monaſterio D. Juſti, qva expirantem habuit, repletam fuiſſe oraculis ſcripturæ, qvæ fidem omnibus faciebant, ſententiam ejus ab Evangelicorum placitis non admodùm diſſediſſe. Cæterùm nil æqvè conjecturam hanc firmabat, qvàm tabulæ teſtamentariæ, non zelum pontificiæ religionis præ ſe ferentes, aut curam animæ ſacrificiis poſt mortem liberandæ, nec divites talium declarationum, qvibus multa legari in eam rem, ordinariè conſveverunt. Qvapropter Inqviſitio habere ſe putabat, cur in Tabulas non modò, ſed auctores etiam ſingulos animadverteret, qvi ad rogum damnati partim capite luebant, partim in imagine cremabantur, partim ægrè impetrabant, ut ad Pontificem ipſis provocare, ſeſeq; huic furori eripere liceret. De teſtamento innoxio eſt cautum, ne mentio ejus in poſterum injiceretur. Interìm graviſſimè ſtomachabantur, qvi defuncti memoriam cum pietate colebant, non modò Carolus Nepos, jucundæ inſtitutionis memor, ſed filius qvoq; Joannes, & Alexander Parmenſis, Margarethæ filia natus. Et hanc ipſorum iracundiam Senatus ſeveriſſimus interpretabatur, qvaſi de religione non nimis forent ſoliciti, & leviſſimum haberent ſenſum. Vid. præter allegat. Petr. Matthæus, hæreſeos imputatæ diſcrimen ſcitè indicans. Conf. Gramond. Hiſtor. Gall. Lib. 3. ubi animus Caroli V. à Pontifice R. alienus perſtringitur, & capita fidei duo, in qvibus ab eo diſceſſit, enarrantur. Item Oratio peculiaris, elogia ejus complectens, in qva Conſtantinus ille laudatur, ceu Vir pius, gravis, & præclare eruditus, qvi Cæſarem ad Bernhardi lectionem invitavit.

8. Proinde falſos eſſe oportet, qvi Carolum opinantur ob ſtudium religionis purioris fuiſſe interfectum. Nec audacter affirmari poteſt, præcipitatam eſſe capitalem judicii ſententiam, qvòd in Patris vitam nefaria machinatus foret, ſeſeq; proptereà armâſſet.

Eqvidem ſuſpicionem putant ortam parricidii à filio tentati, ſed qvam Taſſii denunciatio, conſiliivé ordo patefactus, non apud proceres modò, ſed Regem ipſum diluerit, qvi peſſima qvæqve de ipſo ſuſpicaretur. Ideò cauſas interitûs in animis mortalium qværendas judicant, cùm inſidiæ hoſtium, præpotentium in aula, non fuerint ignotæ, qvos aut amor ſtimulabat, aut trepidatio non ſinebat paciſci, aut ultionis libido in furorem apertum jampridem agitârat. Adhæc qvi de fidei negotiis ſtatuendi facultate utebantur, malè animatos tùm habebat, nec Philippi æqvitati confidebat, qvem perſvaſio de filii amore, qvo & voluptates ejus, & fortunam ſuam Carolus peſſundedit, nec non odium inveteratum, & ad ultimum metus infringendæ ſuæ potentiæ, Principis in Belgio auctoritate communita, aſperum non tantùm, ſed implacabilem ſibi reddidiſſet. * Qvo in loco rebus conſtitutis, de fuga repentè innotuit, & defectio Maurorum nuuciata eſt, ne qvid fortè abeſſet, qvod

flu-

fluctuantem Regem impelleret, & vincula Caroli, alioqvin jam decreta, suppliciumqve ejus maturaret. Tandem ratio inventa est, qvam atrocitati suæ judices prætexuerunt, qvando & hæreticæ labis, & consiliorum cum hostibus communicatorum reus fuit pronunciatus. His in medio relictis Stradam modò facessere jubemus, qvi promiscuè negavit, qvod alii tàm confidenter tradidere. Certè is periculum pertimuit, qvi in sangvinem suum sævire, & filium carceri mancipare, & mactare sustinuit, ut non appareat credibile, ex alia qvàm gravissima causa, in eum, qvem tot sceptra expectabant, ab ipso parente animadversum & vindicatum fuisse.

* *Qvo tempore Carolus à Patre contendebat, ut sibi bona ejus cum voluntate in Belgium liceret proficisci, is hanc sufflaminandi consilii excogitabat rationem, ut diceret, se comitem itineneris ac expeditionis fore. Cùm autem non cessaret moras nectere, & simulato demùm morbo institutum filii penitus frustraretur, is aliqvando in conclavi Reginæ otiosus Patri suo illudere cœpit, arreptaq; charta libellum fecit, in qvo Philippi itinera ingeniosè posteà descripsit. Hic Reginæ ostensus casu ad Eboliam pervenit, & à Gomesio Philippo tùnc monstratus est, cùm altera vice Princeps instaret, Paterq; jam in eo esset, ut in Belgicam profectionem consentiret. Hanc verò schedam, cum literis Elisabethæ, ad Carolum Altalæ decumbentem Posanii Marchionis opera missis, & in cistis capti post repertis, Gallicana narratio inter causas retulit, quæ Regem impulerunt, ut acerbius statueret, & omnem cogitationem de facienda*

 pe-

pœna gratia, ex animo abjiceret. Aliàs de fuga certum est, tempestivè Regi nunciatam fuisse, cùm & apud Raimundum Tassium eqvi jam parati existerent, & profectio in diem seqventem esset constituta. Nectamen hoc admittunt singuli Scriptores, qvasi Princeps Austrium solicitaverit, ut se in via comitaretur, isq; posteà ad Fratrem detulerit. Sed qvòd speculatus omnes occasiones animadverterit arma parari, eaq; de re Philippum certiorem fecerit, qvi primò opinatus, ad insidias vitæ suæ structas pertinere, Tassii denunciatione sit metu illo liberatus. De Regina insuper proditum est, quandoqvidem adversarii timebant, ne si eam Maritus adiret, omnem suspicionem ex animo illius demeret, seq; pariter & Privignum una opera periculis explicaret, persvasum fuisse Philippo, fœdioris morbi signa in ipsa comparere, adeoq; non esse consultum valetudini ejus, ut commercium cum Conjuge haberet. Qvam in rem Ebolia officio suo fungebatur, & puella, cui Austrius se dederat, hujus pellicitationibus & amore simulato inducta, id similiter confirmabat. Sic verò omni aditu præcluso ad pacificandum denuò, & disturbandas has molitiones, Carolus fertur excidisse ausis suis, & præcipitâsse se in casses, qvibus & ipse irretitus est, & Noverca interiit. Cæteroqvi de insidiis, qvibus Philippus sibi persvaserit, Carolum vitæ suæ insidiari, Thuanus hæc exposuit. Qvòd Princeps Foxium Artificem rogâsset, ut sibi librum eo pondere fabricaret, cujus ictu hominem exanimare posset. Nam legerat alicubi in Hispania Annalibus, qvendam Episcopum, qvi carcere attinebatur, laterem magnitudine breviarii precum corio contegendum curâsse, cujus ictu custodem appositum sibi interfecisset, & ita vinculis se exemisset. Qvòd idem somnum inqvieto animo caperet, & ubicunqve esset, arma in omnem occasionem expedita circumferret. Qvòd fidele colloqvium cum sacerdote habens, confessus foret illi, sibi esse in animo qvendam hominem occidere, eoq; audito Philippus respondisset, eum se hominem esse, qvem Filius peteret; cæterùm sibi consulturum. Et hæc Thuanus ex Ludovico Foxio Parisiensi partim accepisse refert, Histor. Lib. XLIII. p. 803. qvocum Anonymus Gallus, & Vernaculæ scriptionis Autor videri qveunt, haud in omnibus convenientes. Add. Commentarius de Statu Reip. & Relig. in Regno Gall. cujus qvæ invenio, his verbis nos erudiunt, gravissimumqve testimonium asseverationi illi largiuntur; De morte Caroli,

li, Hispaniarum Regis Philippi filii rumor increbescebat. Hujus mirabilis mortis multæ causæ ferebantur: at constantior, inqvisitorum fraudem nonnulla fraudulenter suspicantium, patris iram adversùs Filium exacuisse, ut suis laqveis pater legitimum & unicum sibimet & Hispaniæ hæredem adimeret. Lib. 9. p. 201. Cæterùm de Austrio à Principe solicitato, Historiæ Britannicæ Conditor peculiaria refert qvædam, & de causis insecutæ calamitatis hæc subjungit: Occulta suspicione incensus Pater, cui obstinata severitas, & invictus adversùs gratiam animus, filium adservari jubet; & apud Proceres, cum cætera insectatione vitæ, invidiosissimè incusat, occidendi sui consilium iniisse: Hostes regni, Angliæ & Daniæ Reges, Aurasionensem & Collinium, ab eo occultis nunciis cultos, atqve eorum fiducia, adversùs Patrem in nefariam spem regni venisse. Jonhston. lib. 8. p. 252.

9. Qvæ sunt reliqva, unanimi consensu Scriptores perseqvuntur. Ut deliberatum sit de vinculis Carolo injiciendis, ut intrârint in cubiculum, ut expergefactus, ac se proditum videns, calamitatem suam deplorârit, ut custodibus additis, sibi mortem sit accelerare aggressus, ut de judicium sententia supplicium ab eo sumptum fuerit.* Cæterùm qvod qvidam Principem insimulant, dira esse imprecatum in carcere suo, interceptumve veneno, aut strangulatum à mancipiis, alii non agnoscunt. Veneno rem tentatam volunt, non perfectam. Adjiciunt & illud, moderatum sibi esse, ne indignè qvid proferret. Demum vena secta, & pedibus in aqva positis, vitam defecisse. Etenim vix persvadeor, dura strangulationis afficere pœna voluisse, qvibus fiebat satis, si spiritum eripuissent. Et veneno rem periclitatos esse, habet veri aliqvam similitudinem. Alioqvi & diversa opinantes largiuntur nobis, plerisqve videri, sangvine venis effuso, sententiam capitis fuisse executioni tum mandatam.

* *Deliberationem ajunt Regi tunc fuisse cum Episcopo Origuela & Canariensi, cum Navarro Jurisconsulto, Martino de Epi-*

sibe-

ſcueta, aliisvè multis, à qvibus confirmatus fuerit in propoſito, de vinculis Carolo injiciendis. Et Navarrus qvidem evulgavit rationes, ad defendendam facti æqvitatem. Cæterùm qvò negotium felicius perficeretur, Foxius machinarum fabricator juſſus eſt trochleas, qvibus oſtium cubiculi Principis obſervabatur, ſufflaminare. Poſteà Lermæ Comes ingreſſus eſt conclave profunda jam noctu, & ſcloppetos ac gladios ſub pulvillo latentes clam ſubduxit, arcamq́; dein, in qva qvatuor majores ſcloppetos aſſervabat, inſedit. Tum Pater ſeqvitur, qvem Rodericus Gomeſius Silva, Feriæ Dux, Commendator major, & Didacus Cordubenſis præcedebant. Depulſo ſomno, ut ſe captum Princeps, & Patrem adeſſe cognovit, ſe mortuum inclamans, etiam adſtantes, ut ſe interficerent, lamentabili ejulatione rogavit. Mox gravi oratione increpitus ſurgere jubetur: amovetur famulitium, novi cuſtodes apponuntur; ab his veſte lugubri induitur: exq́; omni regia ſuppellectile curule grabbatum cum culcitra miſero relinqvitur. Hinc ex deſperatione in furorem verſus, inprimis cùm ciſtas ſuas auferri & aperiri videret, primò ſe in ignem accenſum, erat enim aſperrima hyems, cernuum miſit, vixq́; à cuſtodibus, nec illæſo omninò corpore, retrahi potuit. Cùm hæc non ſuccesſiſſet, alia ſibi mortem via conſciſcere aggreditur. Biduo ſine potu exacto, tertio die tanta ſe frigida ingurgitavit, ut parum abfuerit, qvin medius rumperetur. Rurſus fame per aliqvot dierum inediam ſubvecta, paſtillis carne coctu difficili fartis tàm copioſè ventrem ſaburravit, ut penè ſuffocatus ſit. Hæc autem ex ore ipſius Foxii ſe percepiſſe, Thuanus iterum teſtatur. Addit Petrus Juſtinianus, Patritius Venetus, adamante in os injecto, Carolum ſtrangulare ſe conatum, ſed a cuſtodibus maturè ſuccurrentibus impeditum fuiſſe. Si verum eſt, qvod qvidam tradunt, primò ſaltem ad perpetuos carceres damnatus fuit; hæc autem indignatio effecit, ut ad cavendum periculum, qvod mutatis vulgi animis, inq́; commiſerationem verſis, aggravari videbatur, morti dederetur. Contrà alii inqviunt, Philippi conſilium non fuiſſe obſcurum, qvod cùm è carceris ſqvalore & ſolitudine, tùm ex aliis rebus abundè patuerit. De ordine judicii qvoqve ſingularia afferuntur, qvo pacto caſus judicibus ſit propoſitus, ſub ficto nimirum Ludovici XI. Galliæ Delphini, & Caroli VII. Parentis nomine; qvàm fervidè illi inſtruxerint litem, & exemplo ſimili Joannis Arragoniæ Re-

gis,

gis, adversùs Filium, Vianæ Principem, capitalem sententiam flagitantis, severitatem emollierint, & rationem facti præsentis à consvetudine non abhorrere declararint. Omnium autem miserrimum est, nec sine lacrymis propemodum potest legi, qvod apud Gallicum Scriptorem reperitur; qvemadmodùm exceperit supremam fati legem, nunciatoq; venire Patrem, vetuerit Parentem dicere, qvi Rex sibi sit, qvomodò ipsi supplicaverit, & duro cum responso dimissus, circumspexerit ferale balneum, & solutis venis imaginem pictam, Reginæ formam elegantissimè repræsentantem, subjecerit oculis suis, donec cum sangvine vita illi deficeret, sudoreq; frigido oppressus mortuusvè laberetur. Hæc sive verè narrata, sive vano rumore sparsa, talia tamen sunt, qvæ miserabiles humanæ vitæ casus in animum revocant, præsertim qvia illud liqvidum intereà certissimumq; patet, Carolo vim allatam, etiamsi mortis genus variis sermonibus proditum fuerit & jactatum. V. Fam. Strada, incerta referens, l. c. & cum eo, Rerum in Belgio gestarum Scriptor sub Philippo II. qvi à Patre in custodiam conjectum, ibiq; decessisse scribit, variis de morte ejus rumoribus evulgatis. Part. II. c. 18. p. 85. Conf. Jonhstoni Historia Britannica, cujus recitationi non per omnia fidem habeo, sic extrema Caroli perseqventis: Mox invidia criminis, & externæ gratiæ, oneratum, interficere constituit, ut proditorem Patris & regni, poscitqve supplicium; restitere proceres, ut humaniore cogitatione imbueretur. Proinde anxius, consilium acerbissimæ Inqvisitionis, in tali casu conscientiæ unicum, remedium, accersiri jubet: Parricidium Caroli, & scelus concupitæ dominationis iterum accusat. Judices Inqvisitionis respodent; populi salutem cunctis affectibus flagrantiorem. Qvi statum regni conatus est convellere, reum rerum capitalium, & extrema meritum. Lætus tali occasione Philippus, Inqvisitionis Judicibus à se digrendientibus mandata dedit de filio occidendo; qvi non gravatè executi sunt. Intromissi qvatuor talium facinorum ministri, fauces & spiritum Caroli Principis intercluserunt, conqverentis crudelitatem Patris, & iniqvitatem acerbissimæ Inqvisitionis. Philippus stupida vanitate sibi innocentior videbatur, qvia subtraxit oculos, & jussit nefarium scelus, non spectavit. l. c.

 10. Hunc

10. Hunc exitum Carolus habuit, poſtqvam interceſſio Legatorum, Principumqve abſentium nil profeciſſent. * De eo narrationes exivere in vulgus ſparſæ, & privatim literæ ſunt miſſæ ex aula, cùm menſibus aliqvot celatus non amplius poſſet tegi, ſed publicis vulgi ſermonibus, & propalam jam ferretur. Secuta eſt Privignum Eliſabetha, non absqve ſuſpicione, fatum ejus conſimili ratione fuiſſe maturatum. ** Alii honorem ultimum, cerimonias indicto funere peractas, ſignificationem luctûs, elogia, & qvæ præter pompam inanem diligenter ab Hiſtoricis fuerunt annotata, colligant per me licet; mihi hæc perinde ſunt qvemadmodùm ſe habuerint, exploraturo certius fortaſsè de Carolo, ſiqvidem de Reginæ obitu manifeſtius conſtaret, qvem cum Thuano haud facile tamen adducor, ut omni crimine caruiſſe putem. Cæterùm qvos rumor eſt in hac tragœdia adverſùs Principem ſtetiſſe, & egiſſe acerbius, vel eventus conſiliorum defraudavit peſſimè, vel ſimilis implicuit calamitas, vel ſævior etiam oppreſſit atqve extinxit. ***

* *Ex his, qvi pro Carolo ſe interpoſuere. Philippi Soror, Cæſaris Conjux, partes ſuas præcipuo ſtudio egit, erat enim jam conventum, ut Princeps Filiam duceret, qvam mortua Regina Pater poſt accepit. De morte ejus prolixa evulgata eſt narratio, qvæ ea in morbum, ex diete neglectu ortum conferebatur. Cæterùm & famulorum Caroli, & multitudinis promiſcuæ dolorem, maximoperè extollunt nonnulli, qvem tantum fuiſſe produnt, ut Philippus domeſticos muneribus ſolari, alios dignitatibus afficere & recreare neceſſe haberet. Exeqviarum ſolemnia publicis Mantuæ Carpetanorum ſumptibus celebrata fuerunt, duoq; Imperatoris Filii, qvi forte aderant, pompam funeris præſentia ſua cohoneſtarunt.* Vid. Anonymus loc. cit.

** *Me-*

** *Memoria est proditum, jussu Regis celatam fuisse Principis mortem, ne Regina prægnans periclitaretur de fœtu, aut aliqvid detrimenti acciperet. Cùm autem omnia jam edocta esset, nec sibi temperaret, quò minus effunderet iram suam, Philippum denuò turbatum cœpisse sibi metuere ab ea, qva & summa magnitudine animi esset, & præcipua auctoritate floreret, multumq; apud Catharinam Parentem, aulamq; Gallicanam valeret efficere. Reliqva qva persequnti sunt, qvi nobis hanc Tragœdiam dedere, sic habent. Paucis post excessum Caroli mensibus transactis, Albani conjugem cubiculum Reginæ intrâsse, eamq; compulisse vi qvodammodo, ut potionem medicam hauriret, Rege & præsente, & voluntate sua adigente infelicem, ne detrectaret bibere. Cùm Albana qvidem causaretur Medicorum hac in re sententiam, ut qvibus videatur id consultum, ad expediendas partûs difficultates. At verò ea ipsa die Elisabetham decessisse, non sine acutissimi doloris sensu, multisq; per vomitum ejectis, infante verò in utero exanimato, cujus cranium nigricante colore infectum comparebat. Hunc ajunt illi exitum fuisse vitæ, sive in miscenda potione error commissus fuerit, sive commotio Reginæ, & qvòd invita bibisset, tàm noxiam largita sit eidem vim, qvam aliàs neqvaqvam habuisset.* Vid. præter nominatos Joann. Bussier. qvi Catharinam refert ad decipiendum Admiralium hoc testificatam esse; accepisse se à plurimis, qvos in Hispaniam miserat, maximè à Delbena, Elisabethæ præ cæteris dilectæ filiæ, oblatum toxicum à Philippo. lib. cit. Non meminit hujus rei, sed mortem simpliciter narrat, Commentar. de statu Reip. & Rel. loc. all.

*** *Eboliæ qvidem hæc fata fuerunt. Rex captus Fœminæ amore, cui aliàs favebat impensè, Gomesii iracundiam, & vindicandi cupiditatem excitavit, qvas Conjux tamen in tempore prævenit, & Maritum veneno, qvod eidem ille parabat, maturè sustulit. Cùm verò Joannes Austrius Eboliæ gravis esse inciperet, fiducia necessitudinis, qvam cum ea contraxerat, procul aula distinere statuit, procuratis ipsi variis muneribus, & ad ultimum Belgii præfectura, ad exitium homini machinandum. Qva de re cùm*

(o)

iste

iste factus esset certior, ne vindictam expetere posset, mulier aggreditur Philippum, & ostensis literis ab Arausionensi ad Principem exaratis, de matrimonio ejus cum Elisabetha Anglicana, Belgiiq; summ imperio post illa tradendo, eum non mediocriter perterret. Adjicit de voce incautius emissa, de Granatensium copiarum acclamatione, de regno Tunetano, pertinacissima ambitione captato, de amissa culpa ejus Guletta, munitissimo reipublica Christiana in Africa propugnaculo. Deniqve id perfecit, ut Joannes destitutus à Fratre pergrino solo vitam poneret, qvod pestifera lui Scriptores communiter, alii ocreis ex Hispania missis, & odore optimo imbutis, tribuunt. Accidit non multò post, ut patente fraude Rex edoceretur, literas in Austriaci perniciem evulgatas, procurante Ebolia, ab Arausionensi esse missas: qvo scelere sic excanduit Philippus, ut amorem omnem ex animo suo deleret. Ipsa qvidem & Peresius, perpetuo carceri fuerunt mancipati, è qvo hic profugiens exul egit, qvod reliqvum erat, vita tempus, miserumq; spectaculum Europaea aulis prabuit. Caterùm Philippus in his calamitatibus familia sua insenuit, morboq; pediculari correptus, summo cum cruciatu, & miserando regibus exemplo, animam exhalavit. V. Memorabil. Belgic. ad ann. 1598. ubi inter ea, qvæ de morte Regis prolixè recitantur, hoc notatu dignum, qvòd gemmas è cista depromtas Isabellæ filiæ, ex Elisabetha susceptæ, donavit, monita illa, ut servaret in memoriam charissimæ parentis, à qva proficiscerentur. Conf. Grotius, qvi de Austrio minimè inficiatur, fuisse suspicionem veneni ipsi dati, Lib. cit. Alii ut Thuanus, Memorabilium Consarcinator, Jo. Sandius in Epitome Histor. Belgic. mortem ejus vel pestiferæ tabi imputant, vel simpliciter, omisso genere, recensent. Ad extremum Jonhstonus, qvod de Rege diximus, his verbis confirmare nobis est visus: Atrocitas horridæ ac tristis hujus severitatis, totam Europam pervasit. Et qvamvis Deus diuturniorem impunitatem concessit, tamen in exitu vitæ, novam & insolitam pœnam inflixit, ne sævirent posteà Principes in suum sangvinem l. c.

